

Forfatter: Arrebo, Anders

Titel: Udrag fra Hexaëmeron

Citation: Arrebo, Anders: "Hexaëmeron. Lejlighedsdigte. Breve. Udg. af Vagn Lundgaard Simonsen. 1965", i Arrebo, Anders: *Hexaëmeron. Lejlighedsdigte. Breve. Udg. af Vagn Lundgaard Simonsen. 1965*, udg. af VAGN LUNDGAARD SIMONSEN ; Jørgen Glahder , Munksgaard, 1965-83., s. 33. Onlineudgave fra Arkiv for Dansk Litteratur: <https://tekster.kb.dk/text/adl-texts-arrebo01val-shoot-idm140030268268592.pdf> (tilgået 25. april 2024)

Anvendt udgave: Hexaëmeron. Lejlighedsdigte. Breve. Udg. af Vagn Lundgaard Simonsen. 1965

SUrgite Vos Runæ, Alrunæ; vestriqve Magistri,
Et Scaldri junctim cum Scalda surgite vestra.
Surgite censuri, vestro num tempore degit,
Arrhoensi, Scaldar, qvem consimilare potestis.
Et vos, qvi propiùs vixistis tempora nostra,
Vosqve simul, Vates, hac tempestate celebres,
Obtestor meritò, sanctè jurare velitis,
An fuerit Patriæ Lingvæ tam Mysta Venustus.
Si mihi de tanto Phæbo censere licebit,
Cev velit argutos interstrepere anser olores,
Næ superat perqvàm Runas Scaldrosqve superbos,
Nec cedit reliqvis collavdandæ artis Alumnis.
Sit sua certatim Græcis, sit digna Latinis
Lavs, Lavrusqve aliis, qvotqvot viguere, Poëtis;
Is certè Patriis Rhythmis metrisqve recultis
Ambiguam cunctis palmam fecisse videtur.
Germanos æquat sublimes ille Magistros,
Aqve Danis nevult qvicqvam, cev, discere, Tyro.
Res, Rhythmos, metrum, qvis, dicas, condidit illo
Doctiùs ô dexter Censor, meliùsqve? fatere!
34 In rebus sanctus Rhythmis verbisqve disertus,
In metris svavis: Qvanto nunc dignus honore?
Non est ex illis, illorum at spernit avenâm,
Qvorum hodiè plures, qvàm muscæ tempore verno.
Altiùs & scandit, sanè illi competit illud:
Consul, Proconsul Roma fit in urbe qvotannis,
Rex solùm avt Vates non qvovis nascitur anno.
Si ergo vidisset Godefridi fata suprema,
Rex Daniæ certè summâ cum lavde fuisset;
Hjarnus cum acciperet Scaldar diadema sacratum,
Curtum Frothoni aptârat qvòd funebre carmen.
Magnus Alexander sic grandis amabat Homeri
Iliada, ut capiti in cumba subjecerit illam:
Illóne Hexameron dignum est Arrhensis amore?
Psaltica qvæ & scripsit, cev digna poëmata cedro!
Qvilibet affirmat justus, me judice, judex.
Dic nam Theologe, Orator, dic túqve Poeta,
Dic mihi Rhythmologe; Histor, Physjologe atqve Sacerdos,
Vosné simul vegetus noster delectet Apollo!